



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XIV. In qua Carolus Malatestis renuntiavit papatui nomine domini
Gregorii XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

SESSIO XIV.

*In qua Carolus de Malatestis renuntiauit papatui nomine
domini Gregorii XII.*

ANNO
CHRISTI
1415

ANNO a natiuitate Do-
mini millesimo quadrin-
gentesimo decimoquinto,
apostolica sede vacante, re-
gnanteque serenissimo &
inuictissimo principe domi-
no Sigismundo, Romano-
rum, Hungariæ, &c. rege,
regnorum suorum anno,
Hungariæ vigesimonono,
Romanæ electionis quinto,
coronationis vero primo,
die autem Iouis quarta men-
sis Iulii fuit tenta sessio ge-
neralis per sanctam Syno-
dum Constantiensem in ec-
clesia cathedrali Constan-
tienti supradicta, presente
ibidem dicto serenissimo
domino Sigismundo Roma-
norum & Hungariæ, &c.
rege, cum insigniis regali-
bus, & nobilibus sibi in his
seruientibus, videlicet do-
minis, Ludouico comite Pa-
latino Rheni in pomo siue
mundo, Henrico duce Ba-
uariæ in ense, Friderico bur-
grauio Nurembergensi in
sceptrum, & Andrea filio
Sueualæ barone de Hunga-
ria, in corona ministranti-
bus, ceterisque principibus
in numero copioso. Præ-
sentibus ibidem reuerendis-
simis patribus, Ioanne epi-

Abus supra, sede apostolica
pastore vacante, die vero Iouis
quarta mensis Iulii fuit sessio
generalis. In qua serenissimus
Romanorum & Hungariæ,
&c. rex, tamquam imperator
in insigniis regalibus præside-
bat, cuius enssem gessit dux Hen-
ricus de Bauaria, sceptrum ve-
ro burgrauius Nurembergensis,
mundiale, siue pomum dominus
Ludouicus dux Bauariæ, co-
mes Palatinus Rheni. De coro-
na autem eiusdem seruiuit co-
mes. In qua etiam sessione in-
terfuerunt reuerendissimi in Chri-
sto patres, dominus Ioannes Os-
tensis dictus Viuariensis, Ior-
danus Albanensis dictus de Vr-
sinis, & Angelus Tusculanus
dictus Laudensis, episcopi; An-
tonius tituli sanctæ Susannæ
Aquileiensis, Petrus tituli sancti
Chrysogoni Cameracensis, Fran-
ciscus tituli sanctæ crucis in Ie-
rusalem Venetiæ, Thomas
tituli sanctorum Ioannis &
Pauli Tricariensis, Alamannus
tituli sancti Eusebii Pisanus,
Branda tituli sancti Clementis
Placentinus, Petrus tituli sancti
Marci de sancto Marco, Anto-
nius tituli sanctæ Cæcilie de
Salancho, presbyteri, Raynaldus
tituli sancti Viti in macello de
scopo

ANNO
CHRISTI
1415.

scopo Ostiensi & cardina-
li Viuariensi, Angelo Lau-
denfi, Iordano de Vrsinis,
ceterisque cardinalibus, pa-
triarchis, archiepiscopis, e-
piscopis, abbatibus, & aliis
patribus in copiosa multitu-
dine: in cuius quidem ses-
sionis principio præfatus do-
minus Romanus rex indu-
tus vestibus regalibus, re-
cessit de sua sede solita, &
transiit ad aliam sedem po-
sitam in fronte altaris, tam-
quam præfatus pro tunc
in Concilio, Ioanne Domi-
nici tituli sancti Sixti cardina-
li Ragusino, & Carolo de
Malatestis domicello Ari-
minensi, procuratoribus do-
mini Angeli de Corario,
Gregorii XII. in sua obe-
dientia nuncupati, ad aucto-
rizandum Concilium, & ce-
dendum papatui nomine
dicti Gregorii, sedentibus
iuxta regem in quodam ban-
cho respiciente versus con-
gregationem Synodi Con-
stantiensis. Deinde cantatis
antiphona, Veni sancte Spi-
ritus; ac hymno, Veni cre-
ator Spiritus: dictaque col-
lecta de pace per dictum
dominum cardinalem Viua-
riensem, subsequenter per
venerabilem virum domi-
num Iob Benner protono-
tarium domini Ludouici co-
mitis Palatini, lectæ fue-

Concil. Tom. 29.

*Branckasis, Ludouicus sancti
Hadriani de Flisco, Landulphus
sancti Nicolai Barenfis, Ama-
deus sanctæ Mariæ in Cosme-
din Salutiarum, Lucidus de
Comitibus, Franciscus sancto-
rum Cosmæ & Damiani Flo-
rentinensis, diaconi communiter
dicti sacrosanctæ Romanæ eccle-
siæ cardinales. Cantatoque so-
lenniter hymno, Veni creator Spi-
ritus, cum versiculo, sequentia,
& oratione, Deus qui corda fi-
delium, &c. per Ioannem epi-
scopum Ostiensem lecta, reueren-
dus pater dominus Ioannes Do-
minici sancti Sixti presbyter car-
dinalis in sua obedientia, ac
magnificus vir dominus Caro-
lus de Malatestis, quasdam li-
teras bullatas, siue certa procu-
ratoria seu mandata pro ipso
Gregorio ad conuocandum Con-
cilium generale, & in eo agenda
& tractanda approbandum,
auctorizandum, nec non ad
tractandum & practicandum,
procurandum & concludendum
cum regia maiestate, ac aliis qui-
bus suæ prudentiæ videbitur
expedire; & alia in ipsis pro-
curatoriis seu mandatis, quo-
rum tenores inferius inseruntur,
exhibuerunt & produxerunt.
Quas quidem literas bullatas
superius, ut præmittitur, exhibi-
bitas & productas de mandato
domini regis ad tunc præfidentis,
venerabilis vir Iob publica &
intelligibili voce perlegit. Qui-*

Bbb

runt duæ bullæ sequentis tenoris. *bus sic lectis & peractis, reuerendissimus pater dominus Ioannes Dominici cardinalis, & Carolus, prædicti procuratores dicti domini Gregorii duodecimi in sua obedientia nuncupati, ante altare Concilii prope sedem præsentis constituti, dictus Carolus prædicto reuerendissimo patri ad legendum schedulam tenoris infra scripti, maxime conuocationem Concilii, approbationem & ratificationem agendorum in eodem in se continentem, vices suas plenarie commisit. Qua commissione sic facta, surrexit præfatus dominus Ioannes cardinalis, sumpto themate, Omnes vnanimis in oratione estote: factaque super eodẽ famosa collatione, prælibatam schedulã publice alta & intelligibili voce perlegit. Qua sic, vt præmittitur, lecta, reuerendus in Christo pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis, rogante & exhortante præfato domino præsentis, ad instantem petitionem magistri Henrici de Piro, huius sacri Concilii Constantiensis promotoris, ambonem ascendit, & in eo sibi assistentibus reuerendis patribus dominis Antonio Concordiensi pro natione Italica, Stephano Dolensi pro natione Gallicana, Nicolao Mersburgensi pro natione Germanica, & Patricio Cortagensi pro natione Anglicana, episcopis in nationibus prædictis præsentibus, quasdam capitulorum tenoris infra scripti schedulas, quarum vna in effectu continebat, quod Concilium memoratum dictam conuocationem, auctorizationem & confirmationem, quantum ad eundem dominum Gregorium pertinet & attinet, eas admittit: & collegium ipsius domini Gregorii duodecimi nuncupati, alteri collegio, videlicet olim Ioannis papæ XXIII. & e conuerso, vnitas omnino fore decernit. Altera vero continebat in effectu, quod notarii rogati de præmissis non faciant mentionem in instrumentis suis de papa vel sede apostolica, sed de Sigismundo Romanorum & Hungariæ, &c. rege, & regno Romanorum, vsque ad cessionem per Carolum nomine dicti Gregorii faciendam. Quibus lectis, dicti episcopi præsentis nomine nationum suarum prædictarum, & Ioannes episcopus Ostiensis pro se & collegis suis cardinalibus, instante & petente magistro Henrico de Piro promotore prædicto, exhortanteque & rogante serenissimo principe domino Sigismundo Romanorum, &c. rege tunc præsentis, responderunt per verbum, Placeat. Super quibus conuocatione, auctorizatione, confirmatione, admissione, ac vnione, ac statutis & decretis, magister Henricus de Piro promotor & procurator a sanctæ sedis apostolicæ protonotariis per dictum Concilium deputatis, nec non a notariis quatuor na-*

ANNO
CHRISTI
1455

tionum, & quibuscumque aliis tabellionibus publicis ibidem adstantibus, unum vel plura fieri & confici instrumentum seu instrumenta, publicum seu publica, tot quot essent necessaria, instanter requisivit. Præsentibus ibidem.

Hic erat locus vacuus in eo, ex quo ista sumpsimus, exemplari: tamquam si præsentibus hic non expressi adhuc fuissent exprimendi.

Tenores vero dictarum bullarum, nec non schedularum & capitulorum prædictorum, de quibus supra fit mentio, sequuntur, & sunt tales.

*Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, Ioanni tituli sancti Sixti presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, & Ioanni in patriarcham Constantinopolitanum electo, nostris & eiusdem sedis nuntiis; & venerabili fratri Vuernero archiepiscopo Treuirensi, nec non nobilibus viris Ludouico comiti Palatino Rheni, & Carolo de Malatestis domicello Ariminensi, in provincia Romandiolæ pro nobis & * sancta Romana ecclesia rectori, salutem & apostolicam benedictionem.*

Terrenas affectiones humanas tenebrare mentes constat, liberandas pro modulo laminationis. Cum lux illa quæ dixit, *Ego sum lux mundi*, se luminantem ostendit: & Ioan. 8. pro quanto terreno detinentur affectu, minus illius splendorem contingunt. In quo edocemur, errorem cauendum, amoremque rectum sequendum, & nostra omnia ad illam pacem, quæ est cum Deo homini mortali, feliciter conferenda, contra quam negare non possumus impios errores commissos circa papatum, nosque aduersantium astutiis repulsos, ad pacem & ecclesiæ Christi clarum statum per viam renuntiationis, & progressum firmiter desiderantes, vt cum spes aliqua scintillaret, occurrimus erogando. Ex eodem igitur affectu continuato, intellecta prouidentia regia, cum affectione concordæ ad ecclesiæ pacem cum nationibus quas vocauit ad ciuitatem Constantiensem, exhilarati, libenti animo prompti sumus, vt semper fuimus, pro extirpatione horrendorum schismatum, & integra vnione merito optanda & perficienda, dimittere libere papatum, quamuis nobis clarum sit, tam ex titulo sanctæ memoriæ Urbani sexti prædecessoris nostri & canonica nostra electione, quam etiam cla-

rissime ex nostra puritate cum efficaci voluntate & recta. ANNO
CHRISTI
1415.
 Quapropter potius & altius rem ipsam & effectum qui in-
 tenditur, ac serenitatis regiae cor, mentem, animum &
 opera post sui aduentum ad Constantiam fructuosa aduer-
 tentes, * quamque extrinsecus quouis artificio demon-
 stravit; & confidentes exinde de eius serenitatis dispo-
 sitione Deo grata, & in eo sperantes cuius res geritur,
 quod serenitatem eandem diriget in agendis, & vos et-
 iam, qui pro praemissorum effectu estis ibidem. Et ut pos-
 sitis in praedictis proficere melius & valere, quo efficaci-
 rem potestatem a nobis constiterit vos habere, nobis seu
 illis ex nobis, quod ubi illi interfuerint, congregationem
 ipsam, in quantum per dictam serenitatem regiam, &
 non Baltassarum, se nuncupari facientem Ioannem vige-
 simumtertium, vocatam, vice nostra ad praedictorum ef-
 fectum conuocandi & auctorizandi generale Concilium,
 remota tamen omnino dicti Baltassaris praesentia & praesentia
 ab eisdem: nec non omnia, quae postquam sic fecerit-
 tis, disponentur pro vera redintegratione ac vnione ec-
 clesiae, ac praefatorum schismatum extirpatione, per con-
 gregationem eandem remotis (ut praemittitur) praesentia
 & praesentia dicti Baltassaris, vice nostra similiter aucto-
 rizandi, approbandi & confirmandi, plenam & liberam
 de plenitudine potestatis concedimus tenore praesentium
 facultatem. Datum Arimini tertio Idus Martii, pontifica-
 tus nostri anno nono.

De Curia.

In plica.

G. de Imola.

M. de Strata in dorso in camera.

*Gregorius episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio nobili viro
 Carolo de Malatestis domicello Ariminensi, in prouincia no-
 stra Romandiola pro nobis & sancta Romana ecclesia rectori,
 salutem & apostolicam benedictionem.*

Cum ad laudem omnipotentis Dei & bonum ecclesiae
 suae sanctae, pro vnionis redintegratione & pace Chri-
 stianorum, & schismatum extirpatione, proh dolor, nunc
 vigentium, vltra alios nuntios nostros te tamquam perso-
 nam nostram ad maiestatem regiam Constantiam perso-
 naliter destinemus, nos volentes pariter & optantes, ut eo

ANNO
CHRISTI
1415.

perfectius perficere valeas in præmissis, quo maiori fueris auctoritate munitus: tibi cum subordinata sit renuntia-
tio canonica & certæ electioni vnici futuri summi ponti-
ficis, & alia etiam necessaria habeant interuenire, pro præ-
dictorum effectu salubriter consequendo, tibi conuenien-
do aut illis, cum quibus tuæ prouidentia videbitur expe-
dire, modis congruis & opportunis tractandi, practican-
di & concludendi, quæ tibi visa fuerint vtilia & necessaria
ad prædicta, etiam si forent talia, quæ mandata alia & tibi
data excederent, quantumcumque mandatum exigent
specificum & speciale, & si videbitur tibi, aliqua magis
conuenire personæ ecclesiasticæ, illa expediri faciendi per
personam ecclesiasticam quam elegeris, & ei sic electæ
& iuxta tuam dispositionem facturæ, præsentium tenore
de plenitudine apostolicæ potestatis plenam & liberam
concedimus facultatem. Datum Arimini tertio Idus Mar-
tii, pontificatus nostri anno nono.

De Curia.

In plica.

G. de Imola.

M. de Strata in dorso in camera.

Quibus bullis lectis, dominus Carolus (prout in eisdem
continebatur) habens maiorem auctoritatem quam ce-
teri, commisit præfato domino Ioanni Dominici cardinali
vices suas ad auctorizandum & approbandum dictum
Concilium. Quam commissionem in se recipiens, facta
breui collatione cum themate, *Omnes vnanimes in oratione* v. Petr. 3.
estote, auctorizauit Concilium, prout in schedula tenoris
sequentis continetur.

Schedula auctorizationis Concilii.

Quia sanctissimus dominus noster, dominus Gregorius
papa duodecimus audiuit, intellexit, atque multipliciter
est informatus de celebri fama huius sanctæ congregatio-
nis pro generali Concilio Constantiensi in Christi nomi-
ne congregatæ, idcirco idem dominus noster audius ec-
clesiastica vnionis & reformationis, & extirpationis hære-
ticæ prauitatis, commissionem fecit, prout in eiusdem lite-
ris nunc lectis dignoscitur contineri. Cuius quidem com-
missionis & mandati vigore ego Ioannes miseratione diui-
na tituli sancti Sixti presbyter cardinalis, Ragusinus vul-

gariter nuncupatus, pro me & collegis meis in hac parte hic existentibus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. auctoritate ipsius domini nostri papæ, quantum ad eundem spectat, vt prædicta sancta vnio, reformatio, & hæreticæ prauitatis extirpatio, Deo auctore, meliorem fortiantur effectum, & vt sub diuersorum professione pastorum dissidentes Christiani in vnitæ sanctæ matris ecclesiæ & caritatis vinculo coniungantur, istud sacrum Concilium generale conuoco, & omnia per ipsum agenda auctorizo & confirmo, iuxta modum & formam, prout in literis domini nostri nunc lectis plenius continetur.

His autem peractis, reuerendissimus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis legebat capitula & ordinationes conceptas per Concilium Constantiense. Tenores vero dictorum capitulorum sequuntur, & sunt tales: Cum principium cuiuslibet rei potissima pars sit, vt principium decens & amabile Deo, & possibilis ecclesiæ redintegratio fiat, sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, ecclesiam catholicam repræsentans, vt istæ duæ obedientiæ, videlicet illa quæ profitetur Ioannem vigesimum tertium olim fuisse papam, & illa quæ profitetur dominum Gregoriū XII. esse papam, vniantur vna alteri, & altera alteri coniungantur sub capite Christo, dictas conuocationem, auctorizationem, approbationem & confirmationem nomine illius domini qui in sua obedientia dicitur Gregorius XII. nunc factas, quantum ad ipsum spectare videtur, quia abundans ad certitudinem pro bono cautela nemini nocet, sed omnibus prodest, in omnibus & per omnia admittit, & amodo has supradictas obedientias coniunctas & vnitas esse decernit & declarat in vno corpore Domini nostri Iesu Christi, & huius sacri vniuersalis Concilii generalis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.

Hæc sancta Synodus ex certis bonis aspectibus statuit & ordinat, quod per notarios qui de præmissis rogabuntur, in instrumentis per eos conficiendis nulla fiat mentio de Romano pontifice vel de sede apostolica, sed de anno regnorum serenissimi & inuictissimi principis domini Sigismundi Romanorum & Hungariæ & c. regis, & hoc vsque ad cessionem inclusivæ.

ANNO
CHRISTI
1415.

Quibus sic factis, prædictus dominus Ioannes Dominici cardinalis recessit a loco ubi ante altare fuerat, ad scamnum seu locum in quo presbyteri cardinales sedebant, per Lucidum cardinalem de Comitibus prædictum introductus: & ad osculum fraternale receptus, & osculo prælibato, inter reuerendissimos patres dominum Franciscum Venetiarum, & Antonium Aquileiensem, presbyteros cardinales prædictos collocatus sedebat. Subsequenter vero inuictissimus ac serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ &c. rex, de loco quo præsidebat, ad sedem suam propriam regiam, in qua sedere solet in sessionibus generalibus, accessit, & ibi sedebat. Præmissis omnibus, sicut præmittitur, peractis, reuerendissimus pater dominus Alamannus tituli sancti Eusebii presbyter cardinalis, Pisanus communiter dictus, Missam celebravit de sancto Spiritu. Et venerabilis vir magister Theodoricus de Monasterio sacre theologiæ professor sermonem fecit, cuius thema fuit: Qui sequitur me, non ambulat Ioh. 8. in tenebris. Quo & dicta Missa finita, cantatoque responsorio seu introitu, Exaudi nos Domine, &c. dictisque per reuerendissimum patrem dominum Ioannem episcopum Ostiensem orationibus, lectoque euangelio, Si quis venit ad me, &c. hymnoque, Veni creator Spiritus, iterum solenniter cantato, ac aliis precibus consuetis ad Deum deuote profusis, præsidente pro tunc domino Joanne episcopo Ostiensi, memoratus Carolus quamdam aliam bullam Gregorianam, sigillo plumbeo sigillatam, sanam &c. tenoris infra scripti exhibuit & produxit. Quam quidem bullam præfatus immediate præsidens per præfatum dominum Iob legi fecit publice alta & intelligibili voce. Quibus peractis, surrexit præfatus dominus Carolus, & quamdam papyri schedulam tenoris infra scripti, quam in suis tenebat manibus, alta & intelligibili voce perlegit. In qua effectualiter ponebatur petitio sua, videlicet, an expediat quod cessio Gregorii fiat in Constantia antequam eatur Niciam: seu, an Petrus de Luna cedere velit aut non, experiatur. Qua lecta, præfatus reuerendus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis, adhuc ut supra in ambone cum præsidentibus prælibatis existens, exhortante & rogante reuerendissimo patre domino Joanne præsidente præfato, quamdam aliam schedulam certum in se continentem capitulum, in quo in effectu continebatur, quod Concilium Constantiense velit, quod resignatio Gregorii fiat in Constantia pro utilitate & redintegratione fidei Christianæ, antequam eatur ad Niciam,

cuius tenor inferius sequitur, alta & intelligibili voce legit. Ipsaque sic, ut præmittitur, lecta, surrexit magister Henricus de Piro prælibatus promotor, petiitque per dictos præsidentes pro se & nationibus suis prælibatis & aliis responderi super præmissis, per verbum, placet; vel, non placet. Et tunc memorati præsidentes pro nationibus suis, & earum qualibet, nec non reuerendissimus in Christo pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis pro se & suis collegis cardinalibus, responderunt per verbum, placet. Super quibus productis & lectis, dictus magister Henricus promotor & procurator petiit a reuerendis patribus sanctæ sedis apostolicæ protonotariis, ac a nobis per dictum Concilium deputatis notariis, & a quibuscumque aliis notariis & tabellionibus publicis ibidem adstantibus, unum vel plura, publicum seu publica, tot quot essent necessaria, fieri & confici instrumentum & instrumenta. Præsentibus tunc ibidem testibus supradictis.

ANNO
CHRISTI
1411.

Tenores vero dictarum Bullarum, nec non schedularum ordine quo supra lectarum, sequuntur per ordinem, & sunt tales.

Tolluntur processus & cetera in duabus obedientiis hinc inde decreta occasione schismatis.

Aliud Capitulum.

Sacrosancta Synodus generalis Constantiensis &c.

Pro maiori pace & securitate vnionis ecclesiæ, omnes & singulos processus, censuras, pœnas & sententias in olim vocati Ioannis, & eius qui dicitur Gregorius duodecimus, obedientiis iam coniunctis occasione, vel ex causa schismatis hinc vel inde latas, decretas, promulgatas seu fulminatas, & omnem exinde contractam maculam siue notam iuris aut facti, quo ad easdem obedientias, tollit, abolet & irritat atque cassat. Omnes quoque & singulas personas dictarum obedientiarum, cuiuscumque conditionis vel sexus existant, in statibus, dignitatibus & officiis, quæ alias canonice, seu rationabiliter tenent, possident & exercent, ad abundantem cautelam habilitat, & cum eis, quantum opportunum fuerit, aut indigent, dispensat hæc sancta Synodus ex certis bonis respectibus: statuitque & ordinat, quod per notarios, qui de præmissis rogabuntur, in instrumentis per eos conficiendis nulla fiat mentio de Romano pontifice, vel fede

apo-

ANNO
CHRISTI
1415.

apostolica, sed de anno regnorum serenissimi & inuictissimi principis domini Sigismundi Romanorū & Hungarorum &c. regis, & hoc, vsque ad cessionem inclusiue. His denique lectis, dictus dominus Ioannes Dominici cardinalis Ragusinus per cardinales * sistentes in Concilio receptus est ad osculum pacis, & collocatus est inter Franciscum Venetiarum, & Antonium Aquileiensem, presbyteros cardinales. Fuitque consequenter cantata Missa de Spiritu sancto per dominum † Almanum cardinalem Pisānum, cum sermone ad clerum. Et postmodum Missæ officio finito, accessit ad locum præsentia dictus dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis; fuitque dictum officium litaniarum, aliarum more sessionum, cum euangelio, *Si quis venit ad me, & non* *odit patrem suum, &c.* Et dictus dominus Iob * Venner legebat bullam dicti domini Gregorii ad cessionem papatus, tenoris sequentis.

Procuratorium ad renuntiandum &c.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio nobili viro Carolo de Malatestis, domicello Arimini, in prouincia Romandiolæ pro nobis & sancta Romana ecclesia rectori, salutem & apostolicam benedictionem.

Diuina gratia dirigente, fideliter & pure conati fuimus ab ipso initio nostræ assumptionis schisma extirpare, & ecclesiam deducere ad clarum & pacificum statum integraliter, & vt debuimus & voluimus, & continue cum potuimus aduertere opportunitatem perficiendi, efficaci voluntate adhibuimus diligentiam nostram: sed fluxus diuersarum cupiditatum & tenebrarum, a timore Altissimi alienarum, multis & variis inuolutionibus sancto proposito obstiterunt, & per vias duras multiplici debito nos adstrictos incedere compulerunt. Et cum nuper verisimiliter dubitaremus grauiora præparari, recenter recepimus de cælo lumen aperiri, & regiam maiestatem per maturos processus pura mente ad lucem & pacem integram Christianorum, schismatibus de ecclesia repulsis, desideria peruenire, corruptis affectibus obuiando, & rectas vias optando. De quibus gratias Altissimo reddimus, &

Concil. Tom. 29.

Ccc

ab eo lætitiã fuscipimus, sine cuius gratia nullum recte efficitur fundamentum: a qua quidem diuina gratia non dubitamus tuam nobilitatem & animum fuisse & esse constanter directum. Cum ergo destinauerimus Constantiam ad eandem regiam maiestatem dilectos filios Ioannem tituli sancti Sixti presbyterum cardinalem, sedis apostolicæ legatum, & Ioannem in patriarcham Constantinopolitanum electum, nostros & eiusdem sedis nuntios, cum certis literis & mandatis nostris fideliter conceptis, secundum opportunitatem quæ tunc videbatur: nunc vero spe bona concepta, dilatato corde, Christianorum pacem & integram vnionem in Domino desiderantes, tuam nobilitatem, in qua plene confidimus, & carissimam vt personam nostram tenemus, duce Domino ad regiam maiestatem ipsam in Constantiam destinamus, vt animus tuus, quem semper inuenimus sacræ vnionis amatorem, nobiscum lætitiã impleatur. Et propterea ad prædicta omnia plenarie exequenda, te qui etiam ciuitate nostra Ariminensi, & in nonnullis pro nobis & eadem ecclesia in temporalibus es vicarius, omni modo, via, iure & forma, quibus melius fieri possit, tenore præsentium de plenitudine apostolicæ potestatis procuratorem nostrum facimus specialem, dantes & concedentes tibi vt procuratori nostro, de plenitudine dictæ apostolicæ potestatis, omnimodam, plenam & liberam facultatem nostro & dictæ ecclesiæ nomine tractandi, procurandi, totaliter concludendi, & effectualiter inducendi sinceram & integram vnionem ecclesiæ sanctæ Dei, per omnem & quamlibet rationabilem viam coniunctim & diuisim, quæ tibi procuratori nostro videbuntur accommodata ac quomodolibet opportuna. Et specialiter renuntiandi & cedendi omni iuri papatus, ac titulo & possessioni, quod, quem & quam habemus in eodem, si vbi & ante videbitur tibi pro vnione huiusmodi expedire: nec non omnia & singula faciendi, quæ circa præmissa & quodlibet eorum erunt, aut tibi vt procuratori nostro videbuntur quomodolibet opportuna, etiam si forent maiora expressatis, & mandatum exigent quantumcumque speciale, & quæ nos ipsi facere possemus, si personaliter interessemus: promittentes Deo & ecclesiæ

ANNO
CHRISTI
1415.

sanctæ Dei, ratum, gratum & firmum perpetuo irrevocabiliter habituros, quidquid per te procuratorem nostrum, actum, gestum, seu factum fuerit in præmissis, idque facturos dante Domino inviolabiliter observari, promittentes bona fide, & sub attestatione diuini iudicii, quod potestatem huiusmodi tibi sic (vt præmittitur) attributam & concessam reuocare non intendimus, nec reuocabimus te verbo publice vel occulte, & suppletes omnem defectum, si quis in præsentis mandato fuerit admissus, vel in eo aliquid est omissum.

Datum Arimini sexto Idus Martii, pontificatus nostri anno nono.

*De curia
In plica*

*G. de Imola.
M. de Strata in dorso in camera.*

Qua * schedula lecta magnificus dominus Carolus leuans se, dixit hæc verba: Cum sanctissimus dominus noster Gregorius papa duodecimus me suum procuratorem constituerit ad cedendum modo & forma, prout in suis literis lectis dinoscitur contineri: Ego Carolus supra dictus sciens intentionem domini nostri sanctissimi Gregorii papæ duodecimi fuisse & esse totalem ad redintegrationem Christianorum, si possit largiente Domino fieri, & in hoc omnem, quantum in eo est, operam præstare per futuram papatus cessionem per se & suos; & quod ab omnibus caueantur, quæ hoc sanctum propositum impedire possent aut differre: per hoc sacrum Concilium declarari & determinari peto humiliter & instanter, vtrum pro vnione ecclesiæ sanctæ Dei & totali redintegratione per Dei gratiam procuranda, sacro Concilio vtile & expediens videatur, quod nomine præfati domini nostri papæ fiat hic Constantiæ cessio, antequam Niciam accedatur: seu, an Petrus de Luna, qui in sua obedientia dicitur Benedictus decimustertius, cedere velit vel nolit, experiatur. Quibus dictis, præfatus dominus archiepiscopus Mediolanensis in ambone existens, deputatus per Synodum, respondit in modum qui sequitur.

Concilium determinat, quod vtile & expediens est, quod fiat hic in Constantia renuntiatio.

Sacro sancta generalis Synodus Constantiensis deter-

Concil. Tom. 19.

Ccc ij

minat & declarat, expediens & utile fore pro vnione ecclesie sanctae Dei & totali redintegratione per Dei gratiam procuranda, quod nomine illius domini, qui in sua obedientia dicitur Gregorius duodecimus, fiat hic in Constantia celsio, antequam Niciam accedatur: seu, an Petrus de Luna, qui in sua obedientia dicitur Benedictus decimus-tertius, cedere velit vel nolit, experiatur. Subsequenter dictus dominus archiepiscopus Mediolanensis legit capitula quae sequuntur.

Postea vero idem reuerendissimus pater dominus Bartholomaeus archiepiscopus Mediolanensis, adhuc ut supra in ambone una cum praedictis praesidentibus sibi assistentibus existens, ad instantem petitionem & requisitionem magistri Henrici de Piro promotoris praedicti, ac exhortationem & rogatum domini Ioannis praesidentis praelibati, quaedam alia capitula, quorum primum in effectu continet, quod Concilium statuit, quod cardinales non procedant ad electionem futuri summi pontificis absque consensu Concilii, nec eligendus recipiatur sub poena maledictionis aeternae: & quod Concilium suspendit iura positiua contra praesens decretum facientia. Secundum vero, quod electio futuri summi pontificis valeat fieri modo & forma, loco & materia, &c. per Concilium fiendis, & quascumque personas habilitare, recipere & deputare ad electionem huiusmodi, tamen non obstantibus & aliis in ipsa constitutione contentis. Et quod Concilium non dissoluatur donec electio fuerit celebrata. Et quod imperator impendat, & verbo regio promittat, & literas suas decernat, & alia plura, prout in eisdem capitulis, quorum tenores inferius inscribuntur, publice alta & intelligibili voce perlegit. Quibus sic lectis, magister Henricus de Piro promotor & procurator praedictus petiit per dictos praesidentes in ambone, ut supra, existentes, pro se & nationibus suis praedictis & aliis, quorum interest, tunc praesentibus ibidem, responderi per verbum, placet; vel, non placet. Et tunc memorati domini praesidentes, ac Ioannes episcopus Ostiensis, nominibus quibus supra, responderunt per verbum, placet. Serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum &c. rex, respondit per haec verba, Promittimus, & literas decernimus. Quibus sic factis, venerabilis & circumspectus vir dominus Ioannes praepositus Quinqueecclesiensis quaedam literas regias & ipsius domini regis sigillo magno maiestatis suae cerae glaucae impresso sigillatas exhibuit & produxit, easque publice, alta & intelligibili voce tenoris infra scripti perlegit.

Tenores vero dictorum capitulorum & literarum regiarum, de quibus supra fit mentio, sequuntur, & sunt tales.

*Quod vacante sede non procedatur ad electionem
Romani pontificis.*

Sacrofancta generalis Constantiensis Synodus, ad facilius, liberius & utilius integram unionem ecclesie consequendam, pronuntiat, statuit & ordinat, quod pretextu cuiuscumque cessionis aut vacationis sedis apostolicæ siue papatus, durante presentis Concilio factæ vel faciendæ, ad electionem futuri Romani pontificis nullatenus procedatur sine deliberatione & consensu huius sacri generalis Concilii. Et si quid fieret, sit ipso facto auctoritate huius sacri Concilii irritum & inane. Nullusque electum contra hoc decretum in papam recipiat, nec illi, ut papæ, quoquo modo obediat, sub pœna maledictionis æternæ & fautoris schismatis. Punianturque in hoc casu eligentes & electus, si consentiat, ac illi adherentes, pœnis per hoc sacrum Concilium ordinandis. Suspendit quoque dicta sancta Synodus pro bono unionis ecclesie omnia iura positiva in Conciliis generalibus edita, & ipsorum statuta, ordinationes, consuetudines & priuilegia quibuscumque concessa, & pœnas contra quoscumque editas, in quantum dicti decreti effectum impedire possunt quoquo modo.

Sacrofancta Synodus Constantiensis, &c. pro maiori pace & sinceritate unionis ecclesie, omnes & singulos processus, censuras, pœnas & sententias in olim vocati Ioannis vigesimitertii, & eius qui dicitur Gregorius duodecimus, obedientis iam coniunctis, occasione, vel ex causa schismatis hinc vel inde latis, decretas, promulgatas, seu fulminatas, & omnem exinde contractam maculam siue notam iuris vel facti, quo ad easdem obedientias, tollit, abolet, irritat atque cassat. Omnes quoque & singulas personas dictarum obedientiarum, cuiuscumque conditionis vel sexus existant, in statibus, dignitatibus & officiis, quæ alias canonice, seu rationabiliter tenent, possident & exercent, ad abundantem cautelam habilitat, & cum eis quantum opportunum fuerit, aut indigent, dispensat.

Quod electio Romani pontificis fiat modo & forma per Concilium ordinandis: & quod Concilium non dissoluatur, donec sit facta electio: & quod ad hoc rex Romanorum det operam.

ANNO
CHRISTI
1411

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus, ut ecclesie sanctae Dei eo melius & sincerius provideatur, statuit & ordinat, pronuntiat & decernit, quod proxima electio futuri Romani pontificis fiat modo, forma, loco, tempore & materia per sacrum Concilium ordinandis. Et quod idem Concilium possit & valeat in futurum quaecumque personas, cuiuscumque status vel obedientiae sint aut fuerint, ad electionem huiusmodi actiue & passiue, & alios quoscumque actus ecclesiasticos, & omnia alia opportuna, non obstantibus quibuscumque processibus, poenis aut sententiis, habilitare, recipere & deputare modo & forma, quibus etiam videbitur expedire. Quodque sacrum Concilium non dissoluatur, donec electio huiusmodi fuerit celebrata. Exhortans dicta sancta Synodus inuictissimum principem dominum Romanorum & Hungariae regem, pariter & requirens, quatenus tamquam pius ecclesiae aduocatus, & sacri Concilii defensor & protector, omnem ad hoc operam efficaciter impendat, & verbo regio velle facere hoc promittat, ac literas suae maiestatis desuper fieri decernat. Quo capitulo lecto, statim domini deputati, videlicet Antonius Concordiensis, Stephanus Dolensis, Nicolaus Mersburgensis, & Patricius Cortagensis, episcopi, nomine quatuor nationum responderunt, Placet. & similiter reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis nomine collegii cardinalium respondit, Placet. subsequenter serenissimus princeps Romanorum rex ita respondit: Ita promissimus, & literas in bona forma fieri mandamus. Quas quidem literas decretas statim praelibatus princeps Romanorum rex idem per venerabilem virum dominum Ioannem praepositum Quinqueecclesiensem legi fecit in hunc modum.

*Sigismundus Dei gratia Romanorum, &c. rex,
semper Augustus.*

Notum facimus tenore praesentium quibus expedit, vniuersis ad futuram rei memoriam. Inter varias sollicitudines, curasque mul-

ANNO
CHRISTI
1449.

tiplices illa maxime nos urget anxietas, ne inter domesticos fidei, qui Christiano censentur nomine, & præcipue ecclesiasticas personas, controuersia, seminante humani generis inimico, aliquo modo oriatur. Summopere igitur procurandū est, ut non crescant iurgia, sed iuxta magistrā bonorum omnium caritatem, quæ nihil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, imo propria auctoritate nutrit concordiam, dissociata coniungit, inter seruos Dei, quos non oportet de bono proposito reflire, pax & unanimitas conseruetur. Aequum enim est, ut qui spiritu diriguntur, nulla sectione mentium, nulla voluntate contraria, nulla nouitate noxia diuidantur, ne inde discordia sumat initium, unde pacis fœdera & præcipue ecclesiæ tranquillitatis commoda debent suscipere incrementum. Cum itaque sacrosancta Constantiensis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, uniuersalem ecclesiam catholicam matrem nostram representans, pro bono unionis in ecclesia sancta Dei consequenda feliciter laborans, ac celeri (in quantum occurrentium casuum qualitas, aliarumque circumstantiarum necessitas, & præsentium temporum dispositio patiuntur) unicus, veri & indubitati summi pontificis electione fauente Domino celebranda, ut dum ædificationem spiritualis patris, filii, sponsique eiusdem matris sanctæ ecclesiæ uotiuam enititur, parturientis partes experiens, conatus prosequens, & molestias perferens, acerbos dolores sentiat ad instar illius, ut post acceptam de antiquo & pestifero schismate uictoriam, antiq̄ue felicitatis antidota resumat, eiusdem ecclesiæ prouisioni cum omni diligentia solerter & studiose, ac instanter & sedulo succurrere festinat. Verumtamen consultius idoneum parienti tempus expectat, ne inconsultæ festinantis impetu partum præcipitet in abortum. Sicque nonnunquam occulta forsā Dei dispositione postponendus eligitur, & postponitur præferendus, prout his accidisse diebus ex humanorum defectuum supponimus consideratione. Cum inter cetera prouide statuerit & salubriter ordinauerit, quod hoc sacrum Concilium non dissoluatur, donec electio huiusmodi futuri summi pontificis fuerit celebrata: Nos qui tamquam Romanæ ecclesiæ aduocatus, dictique Concilii protector & defensor, ipsius Romanæ ecclesiæ celerem prouisionem totis præcordiis affectamus, & dictæ sanctæ Synodi statutis & ordinationibus colla nostra submissimus, eisdemque in omnibus parere & intendere volumus & debemus, animo deliberato ex certa scientia tenore præsentium verbo regio promittimus & nos obligamus, quod omnem ad hoc operam efficaciter impendemus, & bona fide curabimus, ac quan-

tum in nobis est, legaliter faciemus, quod dicta sancta Synodus non dissoluetur, sed in suo robore conseruabitur, manutenebitur & protegetur, quousque dicta electio largiente Altissimo fuerit celebrata, ac Spiritus paracliti virtus, alto suo & secreto consilio obumbrante, eidem sanctæ Synodo concesserit spiritum unitatis ad felicem consummationem & reformationem ecclesiæ suæ sanctæ. Præsentium sub nostræ maiestatis sigilli appensione testimonio literarum. Datum Constantiæ anno Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, prima die mensis Iulii, regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. vigesimonono, Romanorum electionis quinto, coronationis vero primo.

ANNO
CHRISTI
1415.

Ad mandatum domini regis Ioannes præpositus
de Strigonio vicecancellarius.

Subsequenter præfatus reuerendus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis prædictus, adhuc prout supra in ambone cum prædictis nationum præsidentibus existens, ad mandatum & exhortationem dicti domini Ioannis præsentis, instante primitus & petente antedicto magistro Henrico promotore & procuratore, quædam alia capitula tenorum infra scriptorum numero sex, seriatim & successiue legit. Quorum tenores sequuntur per ordinem, & sunt tales.

Concilium omnia per Gregorium duodecimum in sua obedientia alias canonice & rationabiliter gesta approbat & ratificat.

Sacro sancta generalis Synodus Constantiensis, &c. omnia & singula per illum dominum, qui dicitur Gregorius duodecimus in sua reali obedientia, apostolica auctoritate mediate vel immediate, alias canonice vel rationabiliter hucusque gesta, facta, dispensata, ordinata, concessa & indulta, & etiam vsque ad tempus notitiæ suæ renuntiationis pro eo faciendæ, quod tempus ultra mensem post huiusmodi renuntiationem nolumus extendi taliter gerenda, faciendæ, dispensanda, ordinanda, concedenda & indulgenda, ex certa scientia ratificat, & ex superabundanti cautela ad certitudinem boni approbat atque firmat, statuens & ordinans, quod ex causa vel occasione schismatis, vel cuiuscumque maculæ vel inhabilitatis ex eo prouenientium, non valeant infringi, vel contra ea excipi, aut in dubium reuocari, non obstantibus dif-
posi-

ANNO CHRISTI 1415. positionibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Decretum, quod non reeligatur Gregorius, non esse factum ad ipsius Gregorii inhabilitatem.

Sacrofancta Synodus generalis Constantiensis declarat, statutum seu ordinationem factam alias per istud sacrum Concilium, in quo inter alia cauetur, quod ille dominus qui dicitur in sua obedientia Gregorius duodecimus, nullo vnquam tempore reeligatur in papam, non fuisse factam ad ipsius domini Gregorii inhabilitatem, tamquam non sit capax papatus, sed pro bono pacis ecclesie, & futuris scandalis, scrupulis & suspicionibus euitandis.

Concilium reseruat, & se facturum declarat, quod providebit, vbi duo vel plures in eodem titulo ex diuersis obedientiis concurrunt.

Item sacrofancta Synodus Constantiensis reseruat, & se facturam declarat, vbi duo vel plures in eodem titulo ex diuersis obedientiis concurrunt, quod sacrum Concilium cum debita mansuetudine & rationabili æquitate, ita quod vna pars alia deterius non tractabitur, vtriusque obedientie honore, quantum fieri poterit, saluo, per se vel ad hoc specialiter deputandos, antequam separabitur, providebit modo & tempore opportunis.

Concilium recipit & admittit in cardinales, cardinales domini Gregorii papæ duodecimi.

Item sacrofancta Synodus Constantiensis, exnunc immediate post cessionem seu renuntiationem nomine illius domini, qui dicitur Gregorius duodecimus, de papatu per eundem faciendam, ipsum dominum Gregorium & reuerendissimos in Christo patres dominos Antonium episcopum Portuensem, Ioannem tituli sancti Sixti, Gabrielem tituli sancti Clementis, Angelum tituli sanctorum Petri & Marcellini, Blandellum tituli sanctæ Sabinæ, presbyteros, & Petrum tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum, suæ obedientie cardinales recipit & admittit, eosque vt tales haberi vult, & ab omnibus venerari, nec non dignitate, emolumento, voce & aliis cardinalium priuilegiis, vt veros cardinales vt, frui pariter & gaudere,

Concil. Tom. 29.

D d d

saluis tamen aliis constitutionibus & statutis in præfenti sessione promulgatis & inferius promulgandis, de electione Romani pontificis facientibus mentionem.

ANNO
CHRISTI
1415.

Quod officarii domini Gregorii gaudeant eorum officiis.

Item sacrosancta Synodus Constantiensis, &c. statuit & ordinat, quod omnes officiales & curiales eiusdem domini, qui dicitur Gregorius duodecimus, in officiis & gradibus ipsorum alias canonice adeptis gaudeant, & ea rationabiliter administrent, prout alii officiales alterius obedientiæ indifferenter, salvo ubi in aliquo officio vnus vel certus numerus debet haberi secundum consuetudinem Romanæ curiæ, circa quod sacrum Concilium sibi reseruat prouidendum cum debita mansuetudine & rationabili æquitate: ita quod vna pars alia deterius non tractabitur, vtriusque obedientiæ honore, quantum fieri poterit, semper salvo, per se vel ad hoc specialiter deputandos, antequam separabitur, prouidebit modo & tempore opportunis.

Quod nullus recedat sine licentia.

Item sacrosancta Synodus, &c. Ne ante electionem futuri Romani pontificis & aliorum in eodem Concilio agendorum, ipsum sanctum Concilium dissoluatur, perturbetur, aut contra eius salutem vel prosperitatem aliquid machinetur, vel etiam sancta ipsius statuta & ordinationes quomodolibet molestentur aut transgrediantur, statuit, ordinat & diffinit, quod quæcumque persona Concilii, cuiuscumque status, gradus, ordinis aut præminentia existat, ab hoc sacro Concilio deinceps sine licentia Concilii, vel ad hoc deputandorum recesserit; & quæcumque Concilii, aut quæuis alia persona ipsum Concilium quomodolibet perturbauerit, aut contra eius salutem vel prosperitatem quidquam machinata fuerit, vel ipsius sacri Concilii, præsertim in hac præfenti sessione, statuta aut ordinationes temerarie violauerit, infregerit, aut transgressa fuerit vlllo modo, tamquam vnionem perturbans, schisma faciens, de hæresi suspecta, aut rea criminis læsæ maiestatis, perpetuo sit infamis, omnique dignitate, honore, statu, officio & beneficio, ecclesiasticis & sæcula-

ANNO CHRISTI 1415.
ribus, etiam si imperialis, regalis, cardinalatus, aut pontificalis existat, ipso iure priuata, spe promotionis omnino sublata; nec aliquatenus aperiatur ei ianua dignitatis aut honoris ecclesiastici aut mundani.

Quod imperator det operam, vt Concilium sit tutum.

Item sacrosancta Synodus Constantiensis exhortatur inuictissimum principem dominum Sigismundum Romanorum & Hungariæ regem, quatenus placeat, patentes literas suæ maiestatis sigillis dare, & omnibus principibus, vassallis & subditis sacri imperii, & præsertim ciuibus & incolis ciuitatis Constantiensis præcipere & mandare, quod manutenebunt & defendent prædictum sacrum Concilium in sincera & totali libertate in omni euentu vsque ad electionem futuri summi pontificis, & alias quamdiu durauerit: & quod si & quando sacrum Concilium deliberauerit, ad electionem summi Romani pontificis hic fore procedendum, omnino ad hoc operam efficacem impendat, quod huiusmodi electio sit tuta, libera & secura. Hoc autem specialiter iurent rectores & consules huius ciuitatis fideliter obseruare. Et quicumque istam libertatem, tutelam, aut securitatem aliquo modo impediuerit, fraudem circa eam fecerit, aut quantum in eo fuerit non obseruauerit, cuiuscumque dignitatis, præminentia, status aut conditionis existat, omni cessante priuilegio, eo ipso sententiam imperialis banni incurrat, perpetuo sit infamis, nec ei vnquam portæ dignitatis pateant, nec ad aliquod officium publicum admittatur: quinimo omnibus feudis ac aliis bonis quæ a Romano tenet imperio, sit ipso iure priuatus. Ciuitas autem, seu vniuersitas Constantiæ, nisi consules & rectores prædicta obseruauerint, aut si contra ea venerint, eo ipso banno imperiali subiaceat, & omnibus priuilegiis & libertatibus & gratiis imperialibus seu regalibus sit penitus destituta.

Quibus sic peractis, dictus magister Henricus de Piro promotor petiit a dictis præsidentibus, nominibus quibus supra, responderi per verbum, placet; vel, non placet. Memoratique præsidentes, & Ioannes episcopus Ostiensis, nominibus quibus supra, responderunt vt prius, per verbum, placet. Serenissimus princeps dominus Sigismundus rex respondit sub isto verborum tenore: Promittimus & Concil. Tom. 29.

Ddd ij

litteras decernimus. Præmissis sic peractis, surrexit præfatus Ioannes præpositus Quinqueecclesiarum, litterasque dicti serenissimi principis suæ maiestatis sigillo magno ceræ glaucæ impresso sigillatas exhibuit, easque legit, rogante & mandante prælibato domino Ioanne episcopo Ostiensi proxime præsidente. Quibus sic lectis, dictus magister Henricus promotor super potestate cedendi & renuntiandi dicto Carolo a præfato domino, qui Gregorius duodecimus dicitur, tradita, statutis & decretis promissis, petiit nominibus quibus supra unum vel plura, publicum seu publica, tot quot essent necessaria fieri & confici instrumentum & instrumenta, præsentibus quibus supra. Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rex. Notum facimus tenore præsentium, quibus expedit uniuersis, ad futuram rei memoriam. Qui statuit terminos gentium secundum numerum angelorum & utrorumque ministeria ordine miro dispensans, sicut choros angelicos variis dignitatibus, quæ propriis vocabulis (teste Apostolo) appellantur, mirabiliter insigniuit: sic & ecclesiam adhuc militantem in terris, diuersis tam spiritualium quam temporalium distinxit titulis potestatum, ut pulcra fidelibus, & infidelibus terribilis apparens, ut castrorum acies ordinata, procedat prospere, donec regina tandem a dextris summi regis in vestitu sedeat deaurato, feliciter in perpetuum regnatura. Unde constat, quod omnis a Deo est potestas, qui solus potestatem habet in regno hominum, & quemcumque vult suscitatur super illud. Nemo illi temere debet resistere, ne, secundum Apostolum, potestati diuinæ resistere videatur: quin potius tenetur quilibet in operibus manuum Domini exultare, per quæ semper iuxta prophetam misericordia & iudicium constat. Sane cum propter vacationem sedis apostolicæ, Romani & summi pontificis electio & prouisio in nostra Constantiensi ciuitate, in qua ad præsens generale Concilium celebratur, suo tempore iuxta eiusdem statuta Concilii imminet facienda, nos tamquam Romanæ ecclesiæ aduocatus, dicti Concilii defensor, ac præsertim dictæ ciuitatis Constantiensis dominus naturalis, volentes dictam electionem fore tutam, liberam & securam, omnibus & singulis principibus, vassallis & subditis sacri imperii, & præsertim ciuibus & incolis dictæ ciuitatis Constantiensis nostræ fidelibus nostris dilectis districte præcipimus & mandamus, quatenus dictum sacrum Concilium in pura, sincera, pacificaque libertate manteneant & defendant in omnem euentum, usque ad electionem & perfectionem futuri summi pontificis inclusue.

ANNO
CHRISTI
1415.

Et quod si quando sacrum Concilium deliberauerit ad electionem Romani pontificis in eadem nostra ciuitate fore procedendum, omnem curam, diligentiam, sollicitudinem & operam efficaciter impendant, quod electio huiusmodi in plena libertate & securitate debite defendatur. Specialiter autem rectoribus & consulibus dictæ nostræ ciuitatis Constantiensis iniungimus, ut iuxta sacrorum Canonum instituta, id ipsum corporaliter iurent fideliter obseruare. Quicumque autem istam libertatem, tutelam aut securitatem aliquatenus impediuerit, violauerit, fraudem contra eam fecerit, aut quantum in eo fuerit, non obseruauerit, cuiuscumque dignitatis, status, præeminentie aut conditionis existat, omni cessante priuilegio, eo ipso sententiam imperialis banni incurrat, perpetuo sit infamis, nec ei unquam portæ pateant dignitatis, nec ad aliquod officium publicum admittatur. Quinimo omnibus feudis & aliis bonis quæ a Romano tenet imperio, sit ipso iure priuatus. Ciuitas autem, seu uniuersitas Constantiensis, nisi consules & rectores prædicta obseruauerint, aut si contra ea uenerint, eo ipso banno imperiali subiacet, ac omnibus priuilegiis, gratiis & libertatibus imperialibus, siue regalibus sit penitus destituta. Præsentium sub nostræ maiestatis sigilli appensione testimonio literarum. Datum Constantiæ anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, prima die Iulii, regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. 29. Romanæ electionis quinto, coronationis uero primo.

Ad mandatum domini regis Ioannes præpositus de Strigonio uicecancellarius.

Postmodum uero surrexit Carolus prænominatus procurator, solennemque & rhetoricam proferebat collationem in themate sumpto, Facta est multitudo angelorum &c. Qua siquidem collatione L. 2. facta, sepe dictus Carolus quamdam cessionis & resignationis schedulam, quam in suis tenebat manibus, ibidem perlegit: factoque cessit & renuntiauit, & alia fecit, prout in schedula continetur. Qua schedula, ut præmittitur, lecta, præactus reuerendus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis, adhuc in ambone uacua cum præsidentibus nationum antedictis sibi assistentibus, rogante & exhortante dicto domino Ioanne episcopo Ostiensi præsidente, quoddam capitulum, in quo effectualiter continebatur, quod Concilium generale Constantiense præfatum, dictam * cessionem seu renuntiationem admisit, & nonnulla alia, ut in ipso capitulo tenoris infra scripti plenius continetur, alta & intelligi-

Ddd iij

bili voce perlegit. Quo quidem capitulo, ut præmittitur, lecto, mandante & rogante dicto domino præsidente, prædictus magister Henricus petiit per huiusmodi nationum præsidentes & alios supradictos, nominibus quibus supra, responderi per verbum, placet; vel, non placet. Dictique præsidentes & alii supra recitati responderunt nominibus quibus supra, per verbum, placet. Super cessione, resignatione, statutis, diffinitis & decretis, & aliis supra recitatis, præfatus Henricus promotor siue procurator petiit a protonotariis & nobis notariis dicti Concilii, ac aliis tabellionibus publicis quibuscumque, unum vel plura, publicum seu publica, fieri & confici instrumentum & instrumenta, tot quot essent necessaria. Præsentibus testibus quibus supra.

ANNO
CHRISTI
1445.

Tenores vero dictarum cessionis, siue renuntiationis, nec non admissionis eiusdem schedularum, sequuntur, & sunt tales.

Ego Carolus &c.

Luc. 2. His autem perlectis, dictus dominus Carolus, facta pulcra collatione cum themate: *Facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis, &c.* perlegit schedulam de renuntiatione papatus nomine dicti domini Gregorii in forma sequenti.

Carolus renuntiat papatui procuratorio nomine domini Gregorii duodecimi.

Ego Carolus de Malatestis Arimini & nonnullarum aliarum terrarum in temporalibus vicarius, nec non provinciæ Romandiolæ rector pro sanctissimo in Christo patre domino Gregorio diuina prouidentia papa duodecimo, & sanctæ Romanæ ecclesiæ generalis, atque eiusdem sanctissimi domini nostri papæ procurator, habens ad infra scripta plenum, speciale & irreuocabile mandatum, quemadmodum constat per bullam authenticam sanctissimi domini nostri prædicti proxime lectam, nulla oppressus aut coactus violentia, aut nullo ductus errore, ut omnibus aperte pateat per effectum, quanta sinceritate, quantaque cordis affectione sacram vnionem & redintegrationem Christianorum in vnitatem sanctæ matris ecclesiæ profecutus fuit, prosequaturque per viam etiam renuntiationis inclusivæ, pure & libere & sincere procuratorio nomine ipsius sanctissimi domini nostri, domini Gregorii papæ XII. in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti

ANNO
CHRISTE
1415.

renuntio & cedo expresse in his scriptis, realiter & cum effectu, iuri, titulo & possessioni, quod, quem & quam ipse habet in papatu, & resigno nomine præfati domini nostri papatum, & omne ius papatus, titulum & possessionem, quod, quem & quam habet coram Domino nostro Iesu Christo, qui ecclesiæ suæ sanctæ est caput & sponsus in hac sacrosancta Synodo & vniuersali Concilio, sanctam Romanam & vniuersalem ecclesiam repræsentante. Qua schedula lecta, archiepiscopus Mediolanensis loco quo supra respondendo ad prædicta, legebat in hunc modum.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam catholicam repræsentans, cessionem, renuntiationem & resignationem pro parte illius domini, qui in sua obedientia dicebatur Gregorius duodecimus, iuri, titulo & possessioni, quod, quem & quam habuit in papatu, vel si quod, quem vel quam nunc * habuit in papatu, nunc per magnificum & potentem dominum Carolum de Malatestis hic præsentem, eiusque ad hoc procuratorem irrevocabilem, pro eodem domino qui dicebatur Gregorius duodecimus, factas admittit, approbat & collaudat in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

* f. habet

Post hæc autem cantato, Tandem vero hymno angelico, Te Deum laudamus, a sæpe dicto archiepiscopo Mediolanensi legebatur sequens & collectis sequentibus, præfatus reuerendus pater dominus

Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis, ad instantem petitionem magistri Henrici de Piro promotoris & procuratoris dicti sacri Concilii, nec non ad rogatum & exhortationem dicti domini præsentis, legit quoddam aliud capitulum in effectu continens tempus resignationis faciendæ Petri de Luna post requisitionem, & alia, ut in eodem capitulo continentur, tenoris infra scripti, ibidem alta & intelligibili voce perlegit. Quo quidem capitulo proximo superius recitato, lecto, de mandato præfati præsentis prælibatus magister Henricus instanter petiit, per nationum prædictarum præsidentes & alios prætractos super præmissis per verbum, placet, vel, non placet, responderi. Et tunc dicti nationum præsidentes, & Ioannes episcopus Ostiensis præsidentis prædictus, pro se & nationibus suis quibus supra, per verbū, Placet, solenniter responderunt.

non serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariae, &c. rex, promisit, ut in capitulo continetur, & eidem præmissa recitata placuerunt. Super quibus omnibus & singulis sic actis, habitis, gestis, statutis & diffinitis, promissisque & dictis, memoratus magister Henricus promotor ut supra, a dominis protonotariis supradictis, nec non a nobis dicti Concilii notariis, & aliis tabellionibus publicis quibuscumque, unum vel plura, publicum seu publica, tot quot essent necessaria, fieri & confici instrumentum seu instrumenta instanter requisivit & petiit. Præsentibus tunc ibidem testibus quibus supra.

Tenor vero dicti capituli, de quo supra fit mentio, sequitur & est talis.

Sacro sancta generalis, &c.

Quod requiratur Petrus de Luna auctoritate Concilii ad cedendum.

Sacro sancta generalis Synodus Constantiensis, &c.

Cum in Romana ecclesia dudum grauis & pestilens exorta scissura, humani generis inimico procurante, innumerabilia Christiano populo attulerit detrimenta, quibus obuiandis ac pro redintegratione fabricæ catholicæ quamuis multa quæsitæ fuerint remedia immensis laboribus, sollicitudinibus & expensis, inter quæ præstantius & validius toti pene Christianitati dudum, & nuper etiam huic sacro Concilio visum sit, cessionem & renuntiationem papatus fieri per quemlibet pro papa, seu Romano pontifice se gerentem, nec hæctenus cessio, seu renuntiatio huiusmodi facta, aut redintegratio, aut schismatis extirpatio fuerit subsecuta, misericors tamen & miserator Dominus sponsam suam sanctam ecclesiam diebus proximis respexit oculis pietatis, dum videlicet in hac sancta Constantiensi Synodo præter nonnulla alia sanctæ vniõnis ecclesiæ præparamenta, coniunctis sub capite Christo in vna ecclesia duabus, videlicet olim nuncupati Ioannis, & illius qui dicebatur Gregorius duodecimus, obedientis, magnificus dominus Carolus de Malatestis plenissimum ad hoc habens mandatum pro præfato domino, qui dicebatur Gregorius duodecimus, eiusque nomine omni iuri, titulo & possessioni, quod, quem & quam,

vel

ANNO
CHRISTI
1415.

vel si quod, quem vel quam habuit in papatu, non sine magno ipsius domini, qui dicebatur Gregorius duodecimus, laudis præconio cesserit, renuntiauerit expresse, realiter & cum effectu, & resignauerit nomine prædicti domini, qui dicebatur Gregorius duodecimus, papatum & omne ius papatus, titulum & possessionem, quod, quem & quam habuit in papatu. Cumque Petrus de Luna, in sua obedientia Benedictus decimustertius nuncupatus, dudum memoratam cessionis & renuntiationis papatus viam acceptauerit, eamque diuersis promissionibus, votis & iuramentis firmauerit, nec adhuc fecerit, sed protelauerit vsque modo, & prout fere toti Christianitati est notorium & manifestum, sancta Synodus Constantiensis supradicta, nihil, quantum in ea est, quod ad sanctam vnionem vtile fuerit, volens relinquere improuisum, declarat, statuit & diffinit, præfatum Petrum de Luna, ex superabundanti per procuratores sacri Concilii ad hoc specialiter constituendos, loco & tempore opportunis fore solenniter requirendum, vt infra spatium decem dierum, requisitionem huiusmodi immediate sequentium, omni iuri papatus, quod se prætendit habere, nec non titulo & possessioni seu detentioni eiusdem cedat & renuntiet totaliter & absolute. Quod si non fecerit, dicta sancta Synodus ipsum dominum Petrum ex nunc prout ex tunc pronuntiat, decernit & declarat, fuisse & esse notorium schismaticum, antiqui schismatis nutritorem, defensorem, factorem, approbatorem, incorrigibilem & pertinacem, hæreticum, a catholica fide deuium, promissionum, votorum & iuramentorum suorum transgressore, & ecclesiam Dei notorie scandalizantem, & propterea omni honore & dignitate etiam papali se reddidisse indignum, ipsumque per sacros Canones fore abiectum, eiectum, priuatum & præcisum ab omni iure seu possessione & detentione, quæ habet seu se prætendit habere in papatu, mandando, præcipiendo & inhibendo eidem, ne se amplius pro Romano pontifice gerere præsumat, omnibus Christi fidelibus, etiam si imperiali, regali, cardinalatus, pontificali, aut alia quauis ecclesiastica vel sæculari dignitate præfulgeant, ne eidem Petro, aut eius successoribus in hac parte postea obediant, pareant vel intendant, aut auxilium, consilium

vel fauorem præstent vllō modo, sed eum tamquam schismaticum, ecclesiasticæ vniōis perturbatorem & hæreticum vitent & persequantur toto posse, bona fide, realiter & cum effectu. Et huic sacro Concilio ac futuro per Dei gratiam Romano pontifici eligendo, contra dictum Petrum, eius successores, fautores atque sequaces, quos etiam dicta sancta Synodus tamquam schismaticos & hæreticos vult persequi & haberi, assistant fideliter & cum effectu, inuictissimum dominum principem Sigismundum Romanorum & Hungariæ &c. regem, exhortans specialiter & requires, quatenus tamquam pius ecclesiæ aduocatus & sacri Concilii defensor, hoc idem se mox tunc facturum, & suis & sacri imperii subditis mandaturum promittere dignetur, & fideliter obseruare.

Quo capitulo lecto, fuit responsum per deputatos quatuor nationum, Placet: nec non per D. Ostiensem nomine collegii cardinalium, & demum per regem Romanorum, Placet. Super quibus omnibus & singulis magister Henricus de Piro nomine quo supra per sæpe dictos notarios, protonotarios & tabelliones sibi vnum vel plura, & tot, quot sufficiant ad dictum sapientis, petiit fieri publicum seu publica, instrumentum & instrumenta: præsentibus ibidem illustribus principibus, comitibus, ambasiatoribus, ceterisque nobilibus testibus.

SESSIO XV.

SABBATI die, sexta dicti mensis Iulii, fuit sessio generalis Concilii loco & hora consuetis, in qua fuit Romanorum & Hungarorum rex cum nobilibus suis, sibi in insigniis regalibus seruientibus, præsidente in eadem Ioanne episcopo Ostiensi cardinali Viuariensi: fuitque in ea celebratum officium Missæ de Domina nostra, per reuerendissimum patrem dominum Nicolaum archiepiscopum Gnezensem. *videlicet illustribus principibus, Ludouico comite Palatino Rheni in mundo, Friderico burgravio Nuremburgensi, & marchione Brandemburgensi in sceptro, Henrico duce Bavarie in corona, & Stephano de Rosebon milite de Hungaria* Qua reliqua more sessionum, & reuerendus pater dominus Antonius episcopus Concordienfis legebat quoddam